



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Sol Triplex In Eodem Universo**

**Hermann, Amand**

**Sultzbaci, 1676**

Sexta. De Numero Angelorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95850)

Est perfectissima & infinita substantia spiritua-  
lis; ergo infinitum Ens & ulterius; ergo infi-  
nitus Angelus simpliciter. R. 2. Quod, si quod-  
libet individuum deberet continere omnem  
perfectiorem suæ speciei secundum extensio-  
nem, nec anima, nec alia quæcunq; creatura pos-  
set multiplicari numero, ut rem penitus confi-  
deranti clarè patebit.

**Urgetur** Pluralitas individuorum est  
infinita, sed natura Angelica non potest inten-  
dere infinitum, ut dicebat ipsa responsio; ergo  
nec pluralitatem individuorum. R. negando  
maj. Quia, ut dicit Scotus, non enim pluralitas  
numeralis est infinita, sed tantum stare potest  
infinitas ipsa non repugnante, licet ergo nullus  
intendat infinitatem per se, tamen aliquis po-  
test intendere multitudinem numeralem, quæ  
de se non est infinita, quia sicut compatitur se-  
cum infinitatem, ita etiam finitatem. Ita Do-  
ctor subtilis.

**Dices** In quolibet Choro & ordine An-  
gelorum est prius & posterius, sed hoc est se-  
cundum speciem, ergo. R. Esse prius & poste-  
rius secundum speciem & gratiam simul, con-  
cedo, secundum speciem tantum nego, id est,  
sub eadem specie sunt aliqua plura individua,  
quæ adhuc in gratia se invicem excedunt.

## QUÆSTIO VI.

De Numero Angelorum.

I.  
Magnus est  
numerus  
Angelorum.

**Dico ad Quæstionem**: De fide cer-  
tum est, magnum esse Angelorum numerum, incertum  
tamen, quantum sit, comparatione facta ad homines.

**Probatur prima pars** ex illo Job.  
25. *Nunquid est numerus militiæ ejus? Danielis 7.*  
*Millia millium ministrabant ei, & decies centena mil-  
lia assistebant ei, Apocal. 5. Et vidi & audivi, vo-  
cem Angelorum multorum in circuitu Throni & Ani-  
malium, & Seniorum, & erat numerus eorum mil-  
lia millium, Matth. 25. An putas, quia non possum  
rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plus  
quam duodecim Legiones Angelorum. Legio autem  
secundum D. Bonaventuram habet 6666. indi-  
vidua.*

**Nec obstat**, Quod Tob. 12. & Apoc.  
8. fiat mentio tantum septem Angelorum, quia  
ibi solum enumerantur principales, qui propter  
eminentiam dicuntur aditare ante Deum, utpote  
qui præcipuis mysteriis, & arcanis depu-  
tati sunt, esto, omnes beati Angeli per visionem  
adsint Deo.

II.

**Probatur secunda pars** Ex D.  
Augustino lib. 15. de Civit. cap. 1. Et in En-  
chiridio Laurent. cap. 29. ubi addit & dicit:  
*Neg. enim numerum immundorum Daemonum novi-  
mu.* Quod quàm maximè confirmatur ex tanta  
sententiarum diversitate; Nam imprimis aliqui  
putant, esse majorem numerum Angelorum,  
quàm omnium hominum creatorum & crean-  
dorum, probant id exinde, quod D. Brigittæ,  
D. Dionysio de cœlesti Hierarchia, revelatum  
sit, esse tantum numerum, ut cuiq; homini de-  
cem deputari possint ad custodiam. Deinde,  
*F. Amandi Hermann Metaphysica.*

quia verisimile est, in custodiam hominum sim-  
plicium mitti Angelos infimi chori, qui specia-  
liter dicuntur Angeli, sed certum est, plures esse  
simplices, quam doctos & majores. Item do-  
cent, singulis hominibus distinctum esse depu-  
tatum ad custodiam, nec unum pluribus succes-  
sivè inservire, ex quo sequitur, solos Angelos in-  
fimi ordinis æquare, vel superare homines tam  
creatos, quàm creandos, quibus, si addantur  
octo alii ordines & tertia pars quæ cecidit, sine  
comparatione certè Angeli excedent homines  
in numero.

**Alii** e contra putant, homines incom-  
parabiliter excedere Angelos, quia soli præde-  
stinati, qui sunt, Eheu! minima pars hominum,  
tertiæ parti Angelorum, illis videlicet, qui ceci-  
derunt, in ruinam & suppletionem succedunt.  
Sed hoc fundamentum infirmum est, quia non  
constat, tertiam partem Angelorum cecidisse,  
illud enim Apocal. 12. ad litteram intelligitur  
de Ecclesia ex hominibus collecta, ut videre est  
apud Lyranum; tum, quia non constat, tot ho-  
mines assumi ad ruinas cœlestes reparandas,  
quot Angeli ceciderunt.

**D. Gregorius** tandem hom. 34. in  
Evangelia putavit, tot esse beatos Angelos, quot  
sunt homines electi, juxta illud Deuteron. 34.  
*Constituit terminos populorum, juxta numerum filio-  
rum Israël: ubi apud septuaginta habetur: Juxta  
numerum Angelorum Dei.* Verum in loco præfato  
agitur de divisione terræ Chanaan, quam juxta  
numerum filiorum Israël distribuit.

**Pro fine Quæstionis** nota, Divum Tho-  
mam 1. p. q. 50. a. 3. (esto, sat obscure) senti-  
re, tot vel plures esse Angelos, quot sunt indi-  
vidua rerum corporearum: Sed hoc videtur in-  
credibile: Nec pro eo facit D. Dionysius c. 14.  
de cœlesti Hierarch. dicens: Multi sunt beati  
Exercitus supernarum mentium, infirmam &  
constrictam excedentes nostrorum materialium  
numerorum commensurationem. Quia D.  
Dionysius per hoc tantum intendit significare,  
Angelos à nobis non posse numerari, per quam-  
vis numeri multiplicationem, quæ in rebus cor-  
poreis uti solemus, ut mille, centum millia, hoc  
enim significat per constrictam commensura-  
tionem.

## QUÆSTIO VII.

De Distributione Angelorum in Hierarchias  
& Choros, seu ordines.

**Hæc Quæstio** apud multos, multas in-  
volvit, non difficultates, sed obscuritates, ego  
rem, quia de se mihi videtur facilis, brevibus  
expediam. Itaq;

**Hierarchia** idem est, quod sacer Prin-  
cipatus, seu Sacra Respublica, variarum persona-  
rum, cum quadam ad se invicem subordinatio-  
ne, sub aliquo supremo capite, hinc non modò  
in Angelis est, sed & in Ecclesia, constante  
ex Episcopis, Sacerdotibus, Prælatibus & subdi-  
tis. Imò nonnulli, præter has duas, super-  
cœlestem statuunt, nempe Divinam in Deitate,  
e contra alii negant, hoc omnes affirmant,  
Sic nempè

III.

IV.

I.